

STAT. IV.

De Officio Magistri.

Quoniam Magistrum vigilantem esse decet, velut oculum in corpore, qui reliquias corporis membris diligenter prospiciat;—Statuimus et volumus ut Magister, qui pro tempore fuerit, cum omni sollicitudine presit, Socios et Scholares Collegii aliosque quoscunque in dicto Collegio commorantes moneat, increpet, arguat, obsecret, ut singuli suas partes et officio praestent.

Ad haec statuimus et ordinamus, ut Magister ipse, vel substitutus suus, una cum Senescallo ad hunc munus annuatim deputando, de triennio in triennium supervideat domos, tenementa, aedificia, terras, ceterasque possessiones Collegii praediti, et ita diligenter observet quae reparanda et aedificanda fuerint, sive per Tenentes et Firmarios, sive per expensas Collegii, ut in nullo eorum ruinæ, destructiones, vel deterioraciones redditum, aut firmarum diminutiones, ob defectum debitæ supervisionis accidisse inveniantur.

Præterea nolumus Magistrum praediti Collegii terras aut tenementa ulli locare sine consilio et consensu majoris partis Sociorum; aut bona Collegii mobilia vendi quoqvammodo absque expresso consensu Magistri et majoris partis Sociorum; aut possessiones et bona immobilia dicti Collegii permittari vel alienari, nisi propter magnam utilitatem vel necessitatem vel Collegii a Concellario vel Procancellario, dicto Magistro, et octo Sociis ad minimum approbandum. Et si quid locatum vel dimissum fuerit per Indenturam, prius scribatur in Registro ad hoc deputato.

STAT. V.

De Qualitatibus eligendorum in Socios.

Statuimus et ordinamus quod in electione Sociorum Collegii praediti Magister et Socii ejusdem Collegii, qui per scrutinium Socios co-optant, eligant simpliciter meliores, non habendo respectum ad aliquam affectionem carnalem, nec instantiam seu requisitionem aliorum, aut protractionem, sed quos cognoverint esse honestos, castos, humiles, pacificos, et modestos, graduatos, et qui proxima determinatione post electionem suam actualiter procedant.

Volumus etiam ut in electione Sociorum talis ratio habeatur, ut eorum tres ad minimum sint in Presbyteratus ordine constituti. Socios etiam omnes Magistro volumus et ordinamus, una cum ceteris omnibus in dicta domo commorantibus, subesse, et eidem in licitis et honestis, pro statu, utilitate, et regimine dictæ domus salubriter in omnibus obedire.

STAT. VI.

De Electione Sociorum.

Electionem autem Sociorum ad hunc modum fieri volumus. Sodalitio jam vacante, Magister, ubi ad utilitatem Collegii praediti conducere judicaverit, Socios in villa præsentes convocandos erit; quibus sic convocatis, assignabit diem et horam electionis futuræ, quam volumus post hujusmodi convocationem omnino ante diem quindecimum fieri; Socios etiam absentes, quantum fieri poterit, de die et hora electionis futuræ certiores faciat. Quo facto, Magister et Senior Socius tunc præsens vel in Sacello vel in conclavi Magistri seorsim a ceteris Sociis stabunt, et primo suffragia sun in scriptis ferent, deinde reliqui Socii in ordine omnes sua quisque vota similiter in scriptis ferent. Et in quem ex omni numero sic præsentium major pars (vel etiam dimidia pars, si in ea includatur Magister), consenserint, is pro

Socio habeatur. Quod si vota alio quovis modo divisa fuerint, tunc volumus ut bis aut ter infra triduum ad eligendum convenient. Et si in tertio scrutinio non possunt juxta modos præscriptos consentire, tunc ille ex nominatis per Socios in Socium eligatur quem Magister nominaverit. Proviso semper quod Magister et sex Socii ad minimum intersint hujusmodi electioni, si tot Socii eo tempore superfuerint. Proviso etiam quod sodalitio vacante, hujusmodi electio semper intra annum post vacationem ejus fiat vel saltem ante diem primum mensis Maii post annum a tempore vacationis finitum proximo sequentis.

STAT. VII.

De Admissione Sociorum.

Hi autem Socii singuli in admissionibus suis talem præstabunt professionem ut sequitur.

Ego (M. N.) profiteor me veram Christi religionem secundum regulam et doctrinam Ecclesie Anglicanæ ex animo amplecti; Auctoritatem Regiam in omnibus hominibus et causis ejus dominationis summam, et externorum Episcoporum Principum et Potestatum quarumcunque jurisdictioni nullo modo subjectam testimoniare. Ita do fidem.

Profiteor quod observabo omnia Statuta et laudabiles Consuetudines Collegii nostri quamdiu in eo versatus fuerim. Et quod Magistro sive Custodi hujus Collegii obediens ero in omnibus licitis et honestis. Et quod Collegii honorem et utilitatem, quantum in me est, meo consilio et auxilio juvabo. Et quod secreta Collegii, quæ in damnum infamiam sive præjudicium ejusdem cedere possint, nulli extra societatem revelabo, nisi legitima auctoritate coactus. Ita fidem do.

Qua Professione præstata admittatur a Magistro sub hac forma verborum quæ sequitur: Auctoritate mihi commissa admitto te Socium hujus Collegii in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

STAT. VIII.

De Residentia Magistri et Sociorum.

Statutum est ut Magister Collegii resideat in dicto Collegio singulis annis per spatium sex mensium inter primum diem mensis Octobris et ultimum diem mensis Julii conjunctim vel divisim, nisi rationabilis causa ipsum excusat per maiorem partem sociorum approbanda. Quo tempore volumus illum præsentem esse in Collegio, nisi gravis infirmitas, regia, aut magna et urgentia Collegii negotia impiderint.

Socio extra Universitatem abesse permittatur, si Magistro postulanti causam absentiae justam et honestam reddiderit; ita tamen ut, quandocunque Magistro propter Collegii commodum et utilitatem visum fuerit, redire teneatur. Nemini autem Sociorum munus quodvis intra Collegium gerenti, abesse liceat, si vel Magistro vel majori parti Sociorum absentia ejus Collegio detrimenti causa videatur.

Si quis Sociorum revocatus in Collegium a Magistro non redierit; vel si quis, munus gerens, revocatus in Collegium vel a Magistro vel a majore parte Sociorum non redierit, a Collegio et omnibus ejus emolumentis amoventur et pro non Socio habeatur.

Proviso semper quod Magister diligenter caveat ne omnes Socios simul et eodem tempore in ipsius absentia extra Universitatem abesse permittat, nisi in gravi pestis infectione, quæ etiam tempore de Collegii securitate et custodia diligenter prorideatur.